

Forfatter: Brahe, Tycho

Titel: Magni Herois ... [Digt i anledningen af Wilhelm af Hessens død]

Citation: Brahe, Tycho: "Magni Herois ... [Digt i anledningen af Wilhelm af Hessens død]", i Brahe, Tycho: *Tychonis Brahe Dani opera omnia*, udg. af I.L.E. Dreyer , 1913-29, s. 278. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-tycho06tom-shoot-workid54422/facsimile.pdf> (tilgået 26. april 2024)

Anvendt udgave: Tychonis Brahe Dani opera omnia

& occasione, studia & obsequia mea Cell. tuæ probare ullâ in re potuero, promptam meam voluntatem opere ipso & effectu nequiquam desiderabit: Quam hisce Deo Opt. Maximo ad animi & corporis sanitatem, & incipientis salutaris gubernationis felicitatem (quam summam precor) submisce commendo. Datâ Vraniburgi die 22. Decembris, Anni 1592. 5
Tuæ Cellit. Addictiſſ. TYCHO BRAHE.

MAGNI HEROIS GVLIELMI HASSIÆ LANDT-
GRAVII MANIBVS MAGNIS PARENTATIO T. B.

D.



ICNE iaces, Princeps ô præstantiſſime? ſicne 10
Alter ATLAS terris abdite? ſicne iaces?
Qui modo non Terras ſaltem, Patriamque regebas,
Sed poteras ipſos ſuſtinuiſſe Polos:
Claufus ab exigua & vili tellure, recumbis, 15
Digne magis Terræ totius eſſe decus.

Conſilijs Patriam rexiſti providus almam,
Cura fuere aræ, cura fuere foci.
Haſſia nec ſaltem, tota aſt Germania ſenſit,
Quâm Sapiens, Pacis quam ſtudioſus eras.
Galliaque id ſenſit turbata, Britannia ſenſit, 20
Belgarum agnouit nec minus ora ſoli. ||
Daniaque, æquoreas quamvis ſemota per undas, 309
Tecum Adamantinam fixit amicitiam.
Suecia quin etiam, boreis quæ ſubiacet Vrfis,
Nominis & meriti non fuit orba tui. 25
Te quoque Teuthoniæ vicina Polonia ad Ortum,
Alpibus ulterior novit & Italia.
Quare Ortum, Occaſum, aut Auſtrum, Septemve Triones
Si quis adit, clarum nomen ubique geris.
Nec Tellus ſaltem tibi dedita, deditus Æther, 30
Ille tuo aspirans Ingenio & Genio.
Invia nam ſuperi ſcandens penetralia Cæli,
Nectare dignus eras, Ambroſiâque frui.
Hincque Poli ſublimis Amor, redamatus ut eſſes
Cælicolis, tibi qui condoluere, dedit. 35
Ergo mortali præſum ſub pondere ſolvunt,
Indigetemque Aſtris inferuere novum.
Quæ nunc ſub pedibus verſans, velut ante ſupinus
Spectâſti, agnatâ fede potitus ovas.
Nilque iaces igitur, Princeps, Cæli incola, nilque 40
Mens tua nunc patitur Terrea, nilque iaces.